

EPISTULA LEONINA

LXXX

PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
 QUOD ĒDITUR
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
 CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-LXXVIII INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
OCTOGESIMAM (80) !

ARGUMENTA

1. **Mythi Graeci: De Tantalo 4-5**
2. **Symbola Wikipediana de Tantalo scripta 6-11**
3. **Petri iacturarii mira historia (II) 12-16**
4. **Historia Bombinarum (III) 18-29**
5. **Vocabula vestiaria (II) 31-37**

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

Cara Lectrix, Care Lector,

valdê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam octogesimam. Ecce argumenta huius Epistulae multiplicia: mythus et fabula novella et relatio bestiaria et index vocabulorum rariorum recentiorumque. Haec omnia multo labore necnon amore Tibi praeparata et omnino g r a t i s oblata utinam placeant!

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hôt tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

1) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, <i>Das Parfum</i>).....	42,00 €
2) RECITATOR (Bernhard Schlink, <i>Der Vorleser</i>).....	45,00 €
3) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, <i>Der Räuber Hotzenplotz</i>).....	25,00 €
4) GLOSSARIUM FRAGRANTIAE.....	57,00 €
5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, <i>Die schwarze Spinne</i>).....	22,00 €

*MYNCHUSANUS (Erich Kästner, *Baron Münchhausen*) iam pridem divenditus est; studemus hunc libellum aliquando denuo êdere.*

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, *Le Petit Nicolas*) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.

Tu autem pancraticê vale et perge mihi favere!

Medullitus Te salutat

Nicolaus Groß



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae, d. Martis, 02. m.Sept. a.2014



FIAT IUSTITIA ET PEREAT MUNDUS

FERDINANDUS I. (1503-1564)

MYTHI CLASSICAE ANTIQUITATIS PULCHERRIMI

a *Gustavo Schwab* theodiscê scripti, a *Nicolao Groß* Latinê redditi

XXXIV. De Tantalo



Tantalus, filius Iovis, rex Phrygiae ad montes Sipyli habitans praedives atque perillustis erat. Nullus vir mortalis umquam a deis magis honoratus est quam Tantalus. Cum esset summâ nobilitate, factus est amicus deorum familiaris; denique ei licuit ad mensam Iovis cenare et omnia audire, quae immortales inter se colloquebantur. At Tantalus cum vanitate humanâ affectus beatitudinem caelestem non posset sustinere, coepit multa impiè nefarièque in deos committere. Idem mortalibus prodidit caelestium mysteria; a deorum mensâ abstulit nectar et ambrosiam ablataque distribuit sodalibus suis terrestribus; abdidit aureum canem pretiosissimum, quem alius e templo Iovis Cretensi furatus erat; et cum ille postulasset, ut canis redderetur, Tantalus iure iurando negavit se canem accepisse. Denique insolentiâ affectus deos cum invitavisset, ut probaret, num illi reverâ omnia scirent, iussit illis Pelopem filium suum proprium mactatum praeparare comedendum. Omnes dei statim istud nefas animadverterunt, praeter deam Cererem, quae comêdit scapulam Pelopis; tum ceteri membra pueri discerpti cortinae iniecerunt, et Clotho Parca Pelopem protraxit pulchritudine renovatâ instructum. In locum umeri comesi suppositus est eburneus.

Nunc Tantalus, cum facinoribus suis nefariis extra modum prodiisset, a deis in Tartarum deiectus est. Ibidem tormentis dolorosissimis vexabatur. Tantalus medio in stagno stabat, aquae mentum eius circumluebant, tamen laboravit siti ardentissimâ nec umquam potum potuit assequi sibi

vel proximum. Quotiescumque dorsum flectebat ôs aquae admoturus, ante eum stagnum exarescebat; ad pedes eius apparebat solum obscurum; aliqui daemon videbatur stagnum exsiccavisse. Simul autem laborabat fame dolorosissimâ. In ripâ stagni post Tantalum eminebant magnificae arbores fructiferae ramosque supra eius caput erigebant. Quandocumque Tantalus surgebat, ei arridebant pira sucida, granata flammea, ficûs amabiles, olivae virides; at ubi primum manum porrexit fructum capturus, subito rami procellâ quadam advolante sursum ad nubes arrepti sunt. Praeter hoc tormentum infernale Tantalus vexabatur metu mortis perpetuo; nam magnum saxum in aëre supra caput eius pendens semper imminebat in eum ruiturum.

Ita factum est, ut Tantalus nefarius, contemptor deorum, in Tartaro afficeretur triplici tormento infinito.

**MYTHUM TANTALI
A GUSTAVO SCHWAB NARRATUM
IN LATINUM CONVERTIT**

NICOLAUS GROSS



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.com/>

Symbola Wikipediana de Tantalo scripta

<http://de.wikipedia.org/wiki/Tantalos>

Tantalus (graecê: Τάνταλος) in mythologiâ graecâ est auctor generis Tantalidarum. Cum multa impiê nefariêque in deos commisisset, in gentem suam tantam religionem recepit, ut intra eam per quinque generationes fierent homicidia.

Tantali origo et progenies

Tantalus rex Lydus aut Phryx, qui habitabat ad montes Sipyli, fuit magna potestate atque divitiis ingentibus. Secundum Aeschylum poetam eius agri pertingebant in longitudinem itineris duodecim dierum. Alii dicunt Tantalum esse filium Iovis et Plutûs¹ nymphae, filiae Titanum Croni et Rheae, alii (posteriores) Omphalen esse Tantali matrem, Tmolum Lydum patrem, alii omnino non dicunt, quis fuerit genitor. Tantalus connubio coniunctus erat cum Dione aut Euryanassâ aut Clytiâ, pater fuit Niobae, Broteae, Dascyli, Pelopis.

Tantalus quale nefas commiserit.

Tantalus ad mensam deorum invitatus est, sed nectar et ambrosiam illorum cum furatus esset illi irati sunt. Praeterea hic mortalis canem aureum in domum suam abditum tenuit, quem ex templo Iovis furatus erat, et se hoc fecisse negavit. Cum dei immortales ad cenam régis Tantali venissent – talis visitatio deorum antea non facta erat nisi in nuptiis Cadmi et Harmoniae – ille conatus est deorum omniscientiam probare: Tantalus Pelopem filium suum minimum natu necavit eumque deis sic apponendum iussit, ut istud facinus illos lateret. Ceres quidem propter Proserpinam filiam suam raptam desperata pueri umerum comêdit, sed ceteri dei statim animadverterunt facinus nefarium. Qui frustra Pelopis discerpti cortinae iniecerunt, et Clotho Parca filium Tantali nôtâ pulchritudine refectâ e vase protraxit. In locum autem umeri comesi a deis suppositum est umerus novus eburneus.

¹ Quae nymphea dicitur **Pluto**, **G.sg.** est **Plutus** aut Plutonis (sed nequaquam spectat ad deum inferorum). Alia nomina eiusdem sunt Plotis et Plote. cfr Benjamin Hederich, Gründliches mythologisches Lexikon, Darmstadt (WBG) 1996 (i.e. editio anastatica editionis Lipsiensis, a.1770), col.2026: “PLOTE, es, eine Nympe, mit welcher Jupiter den Tantalos zeugete. *Euseb.ap.Nas.Com.l.VI.c.18.*”- op.mem., col.2031sq.: “PLVTO, us, od. ónis, Gr. Πλουτώ, οὐς, eine berecynthische Nympe. *Nonni Dionys.XLVIII.730.* Nach einigen war sie des Oceans und der Tethys Tochter, *Hesiod.Theog.355. & Schol. ad h.l.* oder des Himantes, *Hygin. Fab.155.* nach anderen aber, Saturns Tochter, *Schol. Pind. Ap. Muncker. Ad Hygin. L.c.* Jupiter soll den Tantalus mit ihr gezeuget haben. *Hygin.Fab.82. Auson.Liber c.36.* Sie wird sonst auch **Plotis**, *Luctat. ad Stat. Theb. II.v.436* und **Plote** genannt: *Euseb.ap.Nat.Com.l.VI.c.18.* **jedoch ist Pluto, us ihre richtigste und beste Benennung.**“ -

Tantalus quomodo punitus sit.

Dei Tantalum in Tartarum deiecerunt ibique tormentis aeternis vexaverunt, quae in proverbii consuetudinem venerunt. Homerus haec tormenta describit in *Odysseâ* his verbis, quae sequuntur (HOMERUS, *Odyssea* XI,582-92):



Tantalus. Pinxit *Gioacchino Assereto*, a.1630/1640
Haec pictura inest museo Neo-Zelandensi, quod appellatur *Auckland Art Gallery*.

- καὶ μὴν Τάνταλον εἰσεῖδον κρατέρ' ἄλγε' ἔχοντα
 ἔστεῶτ' ἐν λίμνῃ: ἡ δὲ προσέπλαζε γενεῖω:
 στεῦτο δὲ διψᾶων, πιέειν δ' οὐκ εἶχεν ἐλέσθαι:
 585 ὄσσάκι γὰρ κύψει' ὁ γέρων πιέειν μενεαίνων,
 τοσσάχ' ὕδωρ ἀπολέσκειτ' ἀναβροχέν, ἀμφὶ δὲ ποσσὶ
 γαῖα μέλαινα φάνεσκε, καταζήνασκε δὲ δαίμων.
 δένδρεα δ' ὑψιπέτηλα κατὰ κρηῖθεν χέε καρπόν,
 ὄγχναι καὶ ῥοιαὶ καὶ μηλέαι ἀγλαόκαρποι
 590 συκέαι τε γλυκεραὶ καὶ ἐλαῖαι τηλεθόωσαι:
 τῶν ὀπὸτ' ἰθύσει' ὁ γέρων ἐπὶ χερσὶ μάσασθαι,
 τὰς δ' ἄνεμος ῥίπτασκε ποτὶ νέφεα σκιόεντα.

i.e. Latin¹:

- Et vero Tantalum vidi, graves dolores habentem,
 stantem in lacu; hic autem attingebat ad mentum:
 stabat vero sitiens; ad bibendum autem aquam non poterat capere.
 585 Quoties enim inclinabat se senex, bibere cupiens,
 toties aqua peribat absorpta: circa autem pedes
 terra nigra apparebat; arefaciebat vero deus.
 Arbores autem procerae ab alto fundebant fructum,
 piri, et mali punicae, et mali pulchro fructu,
 590 ficusque dulces, et oleae virentes:
 quas cum recta tenderet senex in manibus prehendere,
 eas ventus dispellebat in nubes obscuras.

Tantalus fructûs et aquam, quamvis sibi essent in propinquo, attingere non poterat. Sed non solum fame et siti vexabatur, sed etiam metu mortis perpetuo, quia supra eius caput pendeat ingens saxum, quo ruituro semper periculum erat, ne Tantalus occideretur.


Qualis religio in Tantalidas recepta sit.

Denique dei Tantalum eiusque gentem, id est Tantalidas, exsecrantur. Hanc exsecrationem valituram esse, dum esset Tantali progenies. Quo factum iri, ut omnis e posteris eius alium gentis suae hominem necando novam culpam contraheret. Itaque longa series scelerum effecta est,

¹ Afferimus horum versuum Homericorum Latinam versionem prosaicam, non metricam, quae invenitur in editione Homeri Didotianâ: ΟΜΗΡΟΥ ΠΟΙΗΜΑΤΑ ΚΑΙ ΤΑ ΤΟΥ ΚΥΚΛΟΥ ΛΕΙΨΑΝΑ. – HOMERI CARMINA ET CYCLI EPICI RELIQUIAE. – GRAECE ET LATINE CUM INDICE NOMINUM ET RERUM. – EDITIO ITERATIS CURIS CORRECTA. PARISIIS. EDITORE AMBROSIO FIRMIN DIDOT. INSTITUTI REGII FRANCIAE TYPOGRAPHO. M DCCC XLV. p.402.

quae demum finita est mortuo ultimo viro Tantalidâ, id est Oreste, qui Clytaemnestrâ matre occidens maritum eius Agamemnonem ultus est. Orestes autem ipse morsu serpentis fatis concessit.

Stemma Tantalidarum



Verba a nomine Tantali derivata

Secundum nomen Tantali *Anders Gustav Ekeberg* Suetus chemiae coryphaeus (1767-1813) nuncupavit **Tantal** elementum chemicum a se inventum. Ekeberg hoc nomen elemento novo imposuit, quia animadverterat idem elementum, quamvis acidum circa se abundaret, nihil acidi recipi posse².

In anglico sermone verbum temporale, q.e. **to tantalize**, significat i.q. Latinê *vexare, irritare*.

Alterum quoque verbum Anglicum derivatum est a nomine perpessoris Graecorum mythici, quem hîc tractamus: Lagoenarum tenaculum vel

² cfr Anders Gustav Ekeberg: *Ueber ein neues Metall, Tantalum, welches zugleich mit der Yttererde in einigen schwedischen Fossilien entdeckt worden ist; nebst einigen Anmerkungen über die Eigenschaften der Yttererde, in Vergleichung mit der Beryllerde*. In: *Crells Annalen der Chemie*. 1803, 1, S. 1-21.

potius claustrum speciale appellatur **Tantalus**. Quo instrumento subera lagoenarum tam firmê trabe metallicâ circumclusa sunt, ut ministri (et parvuli) impediuntur, ne potiones domini surripiant. Lagoenae ipsae quamvis Tantalô circumclusae tamen restant bene visibiles.

<http://www.youtube.com/watch?v=4kFJl6xgKQc>



Ecce claustrum lagoenae, cui inest potio alcoholica (rhodium, i.e. spiritus vini cannae sacchariferae). Tali clastro usi Britanni student prohibere, ne ministri aut parvuli bibant potionem vetitam. Angli idem appellant “TANTALUM”, quia potator clave carens spectat quidem potionem, quam sitienter desiderat, proximam, sed bibere non potest; qui spe potandi deceptus reverâ patitur tormenta Tantalî.

Testimonia mythi Tantalî antiqua

- Apollodori Bibliotheca 3, 5 ,6; Epitome 2, 1–3
- Homeri Odyssea 11, 582–592
- Ovidii Metamorphoses 4, 458–459; 6, 172–176; 6, 403–411
- Pindari Carmina Olympica 1, 24–64

Litterae secundariae

- *Pluto*. in: [Wilhelm Heinrich Roscher](#) (ed.): [Ausführliches Lexikon der griechischen und römischen Mythologie](#). tom. 3,2, Lipsiae a.1909, col. 2567 (textus digitalis).
- [Ludwig Preller: Griechische Mythologie II - Heroen. Berolini 1861, cap. 97](#)

Loci testes

1. Johann Wolfgang Goethe: Iphigenie auf Tauris. Philipp Reclam jun. Stutgardiae a.1993. [ISBN 3-15-000083-1](#), p. 64.
2. M. Elser, S. Ewald, G. Murrer (edd.): *Enzyklopädie der Religionen*. Weltbild, Augustae Vindelicorum a.1990, p. 360

**SYMBOLAM WIKIPEDIANAM
DE TANTALO SCRIPTAM
IN LATINUM CONVERTIT
NICOLAUS GROSS**



LEO LATINUS
<http://www.leolatinus.com/>

PETRI IACTURARII MIRA HISTORIA (II)¹

Scriptit Adelbertus de Chamisso, Latinê reddidit Nicolaus Groß

Capitulum alterum

Cum tandem resipuissem, properê hoc oppidum relîqui, ubi mihi nihil iam agendum fore sperabam. Primo sacculos meos auro complevi, deinde bursam de collo suspensam ad pectus occultavi. Viridarium pervasi non respectus, viam ruralem attigi versus urbem profecturus. Cum prodirem versus portam, audivi aliquem post me clamantem »Domine iuvenis! Heus Domine iuvenis! Audi, quaeso!« Me converti, mulier quaedam vetula post me clamavit: »Vide, ut caveas, umbram perdidisti«. »Gratias tibi ago, matercula!« Eidem obieci nummum aureum pro consilio benevolê dato arboresque subii.



Petrus nummos aureos intêricit pueris insectantibus. A.1839 delineavit *Adolfus de Menzel*.

Ad portam eandem rem audivi e vigile: »Heus Dominus ubi reliquit suam umbram?« et paulo post e nonnullis mulieribus: »Iesus Maria! Hic homo miserrimus vacat umbrâ!« Cum inciperem stomachari de hac re, diligenter cavi, ne lumen solis inirem. At hoc non ubique fieri potuit, exempli gratiâ non potui hoc facere in Viâ Latâ, quae prima mihi

¹ cfr Pars prima: EPISTULA LEONINA 79, p.12-20.

transeunda erat idque ipso eo momento temporis, quo pueri e scholâ venerunt. Parvus quidam catulaster gibbosus - adhuc recordor istum - statim intellexit mihi deesse umbram. Qui magno clamore sublato me prodidit omnibus iuvenibus suburbanis criticis in viâ versantibus, qui in me, postquam recensuerunt, statim caenum iaculari coeperunt clamantes: »Homines probi umbras secum auferunt, si solis lumen ineunt!«. Ut me defenderem, plenis manibus aurum iisdem interieci et raedam meritoriam insilui, quam homines misericordes mihi curaverunt adducendam.

Ubi primum solus fui in raedâ provehente, coepi amarissimê lacrimare. Iam suspicatus sum: quanto aurum in terris merito virtutique praeferri, tanto umbram maioris aestimari quam ipsum aurum; et ut prius a me divitiis permissam esse conscientiam animi, sic nunc umbram venditam esse pro sôlo auro; de me in terris quid fieri posse, quid fore, ut fieret!

Adhuc valdê perturbatus eram, cum raeda constituta est ante deversorium antea a me inhabitatum; territus sum animo fingens mihi fore intrandum illud miserum conclave subtegulanum. Iussi res meas de cubiculo deportari, contemptim accepi tenues sarcinulas meas, proieci nonnullos nummos aureos et imperavi, ut veherer ante deversorium lautissimum. Cum haec domus sita esset versus septentrionem, non timendus mihi erat sol. Raedarium auro dato amisi, curavi ut mihi traderentur conclavia optima anteriora, ubi primum potui, in eadem me abdididi, ianuam clausi.

Quid putas me tunc fecisse? - O care Chamisso, hoc confitens coram te ipso erubesco. Bursam infortunatam extraxi, quam ad pectus gestabam, quadamque cum iracundiâ, quae tamquam incendium flagrans in me augebatur se ipso, extraxi aurum, et aurum, etiam etiamque aurum, quo sternebam pavementum, quod transibam, ut strideret, et proiciebam, miserum animum meum sono pascens, metallum in metallum proiciens, etiam et etiam, usque dum delaberer ad cubile pretiosum tacitusque idem perscrutarer, idem pervolutarem. Sic dies transactus est, vesper, ianuam non aperui, ipsâ nocte iacui in auro prostratus, deinde fatigatus somno superatus sum.

Tum somniavi de te, mihi visus sum stare post ianuam vitream conclavis tui parvi et inde te spectare ad mensam tuam operatoriam inter skeleton et fascem plantarum siccatarum sedentem, ante te libri Halleri, Humboldtii, Linnei aperti iacebant, in stibadio tuo positi erant tomus Goetheanus et »anulus magicus«, diu aspectavi te omnemque rem in conclavi tuo positam, deinde iterum te, tu autem non motus es, spiritum non duxisti, mortuus eras.

Experrectus sum. Tempus visum est adhuc valdê maturum. Horologium meum consteterat. Tamquam contusus eram, sitiebam, esuriebam. Iam taedio atque indignatione affectus a me reppuli istud aurum, quo brevi ante erat saturatus animus meus desiciens; nunc stomachosus ne id quidem scivi, quid de eodem mihi faciendum esset. Non oportuit aurum remanere sic positum – conatus sum aurum bursae reponere - sed hoc fieri non potuit. Nulla fenestra cubiculi mei supra mare aperiri poterat. Necesse erat cum labore et sudore aurum afferre ad magnum armarium, quod stabat in parvo cubiculo iuxta sito, idemque ibi collocare. Paucas tantum volas auri reliqui extra armarium posita. Labore finito lassatus arcisellio incubui exspectans homines in deversorio habitantes surrecturos esse. Ubi primum fieri potuit, curavi, ut aliquid afferretur comedibile et caupo ad me veniret. Quocum collocutus sum de mansione meâ in futurum instruendâ. Îdem commendavit quendam virum nomine Bendelii mihi in negotiis privatis affuturum, cuius facies fidelis atque prudens statim mihi placuit. Qui inde comitatus est me per vitam meam miseram meque adiuvit, ut paterer sortem meam tristem. Per totum diem versatus sum in conclavibus meis, cum ministris dominorum expertibus, calceorum confectoribus, vestificibus, mercatoribus, conclavia instruxi et êmi multas res pretiosas, ut liberarer ab aliquantulo auri permulti accumulati; tamen acervus auri mihi videbatur non diminui.

Per totum tempus de statu meo summê sollicitabar. Non ausus sum e conclavi meo exire gradu vel minimo et vespere curabam quadraginta candelas accendendas, antequam exhibam e tenebris. Territus recordabar, quid mihi factum esset, cum inciderem in illos pueros scholares. Constitui, quamvis hoc inceptum esset audax, ut iterum experirer homines quid sentirent de me. - Noctes illo tempore lunâ erant lucidae. Sero vespere lato amiculo indutus, petaso ad oculos demisso, submissê, tamquam vir sceleratus tremens, e domo repsi. Demum in plateâ longê remotâ egressus sum ex umbrâ domorum, qua usque hunc locum obtectus eram, in lumen lunae lucidum, exspectans fortunam ex ore praetereuntium praedicendam.

Parce mihi, amice, ne dolorosê repetam omnia ista, quae mihi erant patienda. Mulieres summam saepe testabantur misericordiam, qua affectae erant mei causâ; sed earum verbis haud minus laesus sum quam risu puerorum et arrogantîâ virorum, praesertim crassorum, qui ipsi umbrâ erant latissimâ. Bella puella amabilis, quae, ut visa est, parentes comitabatur, qui consideratê ad pedes suos tantum prospiciebant, forte oculum ad me vertit lucentem; eadem cum animadverteret me esse umbrâ orbatum, evidenter territa est, faciem pulchram ricâ velavit, caput demisit, tacitê praeteriit.

Non diutius passus sum miseriam meam. Fluente salsa ex oculis meis prorupta sunt, animi discruciatu titubans recessi in tenebras. Cum remanendum mihi esset in domorum umbrâ, ut gradûs meos firmarem, lentê tantum et sero habitaculum meum sum assecutus.

Noctem degi somni expers. Postridie mâne primo curavi, ut ubique quaeretur vir veste griseâ indutus. Fortasse mihi contingere posse, ut illum reperirem, et quam felix forem! si eum haud minus miseretur stultae mercaturae quam me. Iussi Bendelium ad me venire, qui mihi videretur aptus et habilis, - ei accuratê descripsi illum virum, qui nisi reperiretur, vitam meam dixi nihil fore nisi torturam. Dixi Bendelio, quando et ubi vidissem illum virum; necnon descripsi omnes homines, qui adfuissent, et addidi hoc indicium: ut ex hominibus quaereret, ubi essent telescopium Dollondianum et tapete Turcicum auro pertextum et tentorium magnificum oblectabile necnon nigros equos, quorum historia quacumque ratione cohaereret cum illius viri aenigmatici, qui omnibus visus esset innotabilis, sed quo apparente mea tranquillitas atque felicitas essent sublatae.

Deinde tantum auri, quantum ferre potui, additis nonnullis lapidibus gemmisque etiam pretiosioribus, ex armario exemi. »Bendeli« inquam »auro multae viae exaequantur multaeque res fiunt faciles factu, quae visae sunt impossibiles; ne parcas huic auro (sicuti ego ipse non parco), sed affer nuntios domino tuo, quos solos se accepturum esse sperat«.

Bendelius abiit. Sero rediit tristis. Neminem ex familiaribus, neminem ex convivis Domini Ionii recordatum esse vel minime illum virum veste griseâ indutum. Novum telescopium adfuisse, sed neminem scivisse, unde allatum esset; etiam tapete illud et tentorium in eodem colle evolutum et extensum remansisse, servos domini sui divitias praedicavisse, nec ullum scivisse, unde hae res novae et pretiosae illi allatae essent. Dominum Ionium ipsum gaudere de his rebus nec curare, quod nesciret, unde accepisset; equos a dominis iuvenibus, a quibus equitati essent, tenêri in stabulis, eos laudare Domini Ionii liberalitatem, qua equos sibi illo die donavisset. Haec apparuerunt ex prolixâ narratione Bendelii, quem, qua erat praesenti industriâ atque sagacitate, quamvis res ei parum feliciter successisset, merito laudavi. Ei contristatus indicavi, ut me solum relinqueret.

Ille autem denuo: »Rettuli« inquit »de re quae tibi erat gravissima. Una tantum res restat referenda, quam mihi hodie bene mâne mandavit aliqui vir, in quem ante ianuam incidi ad negotium profectus, quod mihi tam infeliciter successit. Qui vir mihi fecit haec ferê verba: 'Dicas, quaeso, Domino Petro lacturario, me ab illo hôc loco non iam visum iri, quia trans

mare navigaturus vento secundo ad portum vocor. At aliquando eum ipsum visitabo et deinde ei proponam aliud commercium, fortasse gratius. Rogo ut ei quam optimê valere iubeas omni qua par est reverentiâ eique dicas, quantas gratias ei agam.' Interrogavi, quis esset, ille autem dixit se tibi nôtum esse«.

»Quo aspectu ille vir fuit?« interrogavi suspiciosissimus. Bendelius autem illum virum veste griseâ indutum descripsit, iisdem ductibus, iisdem verbis, quibus antea narraverat se homines rogasse de viro.

»Eheu te miserum« clamavi manûs torquens, »qui fuit ille vir ipsissimus!« *et confestim ceciderunt ab oculis eius tamquam squamae*¹ - »Ita, ille, verum ille fuit !« - Bendelius territus exclamavit. »Me caecum, me stupidum, qui illum non cognoverim, non cognoverim et prodiderim dominum meum!«

Is fervidê flens se ipsum amarissimê accusabat tam vehementer desperatus, ut eius me misereret. Itaque consolatus sum Bendelium eo quod iterum iterumque dicebam eum non esse in culpâ, neque me ullo modo dubitare de eius fidelitate, et paulo post eum misi ad portum, ut, si hoc fieri posset, ut sequeretur vestigia miri illius viri grisei. At eodem mâne multae naves antea ventis adversis retentae evectae erant, omnes alias in regiones mundi, omnes aliis litoribus destinatae, et vir griseus nullo vestigio relicto tamquam umbra evaserat. (*Pars tertia sequetur*)

**FABULAM NOVELLAM
AB ADELBERTO DE CHAMISSO NARRATAM
c.t. »Peter Schlemihls seltsame Geschichte«
IN LATINUM CONVERTIT
NICOLAUS GROSS**



LEO LATINUS
<http://www.leolatinus.com/>

¹ orig. ...und ihm fiel es wie Schuppen von den Augen. cfr ACTUS APOSTOLORUM 9,17-19: et abiit Ananias et introivit in domum et inponens ei manus dixit: »Saul frater, Dominus misit me Iesus, qui apparuit tibi in via qua veniebas, ut videas et implearis Spiritu Sancto«. **Et confestim ceciderunt ab oculis eius tamquam squamae** et visum recepit et surgens baptizatus est. Et cum accepisset cibum, confortatus est.

DE RAPTORE HOTZENPLOTZIO

Fabula Casparuli

quam theodiscê narravit

Otfried Preußler

in Latinum convertit

Nikolaus Groß



Editio prima

in domo editoria, quae appellatur

LEO LATINUS

Hic liber habet 136 (centum triginta sex) paginas. Versioni fabulae completae adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 24 (viginti quattuor) paginas. Liber constat 25 € (viginti quinque euronibus) et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM

HISTORIA BOMBINARUM

III

PARS TERTIA



cfr Pars prima (EL 78), Pars secunda (EL 79)

Bombina bombina



Bombina bombina

Ratio systematica

<i>classis:</i>	Amphibia
<i>ordo:</i>	Anura
<i>superfamilia:</i>	Discoglossoidea
<i>familia:</i>	Bombinatoridae
<i>genus:</i>	<i>Bombina</i>
<i>species:</i>	<i>bombina</i>

Nomen scientificum

Bombina bombina

(Linnaeus, 1761)

BOMBINA BOMBINA QUIBUS NOMINIBUS APPELLETUR

lat. **Bombina bombina**

fr. sonneur à ventre de feu, crapaud sonneur à ventre de feu *hisp.* sapo d
catalanice gripau raucador de ventre de foc, *lusitanice* sapo-de-barriga-de-f
rosso.

angl. **European fire-bellied toad**, *batavice* roodbuikvuurpad,

theod. **Rotbauchunke**,

suetice **Klockgrodan** *danice* **Klokkefrø** *norvegice* **Klokkefrosk**

russice **Краснобрюхая жерлянка**, *polonice* **Kumak niziny**, *bohemice*

Kuňka obecná, *serbice* **Црвенотрби мукач**, *croatice* **Crveni mukač**,

bulgarice **Червенокоремната бумка**

lituanice **raudonpilvė kūmutė.**

hungarice **vöröshasú unka**

vasconice **Iraute egoera**

turcice **Kızılca kurbağa, kırmızılı kurbağa**

sinice **红腹铃蟾**

iaponice **ヨーロッパスガエル**

vietnamice **Cóc tía châu Âu**

Bombina bombina

Bombina bombina ordinis *Anurorum* particeps spectat ad familiam *Bombinatoridarum* „primitivam“ et ad genus *Bombinarum*.

Notae speciales



Ecce venter *Bombinae bombinae* iuvenilis – praeter colorem arancio-rubrum etiam puncta alba numerosa sunt huic speciei propria.



Ecce dorsum bestiae huius speciei iuvenilis perquam lucidè et vividè coloratae – est eadem bestia ac in photographemate proximo praeterito.



Pars *Bombinae bombinae* iuvenilis, quae est coloris obscurioris

Bombina bombina mas a capite usque ad truncum est 45 (quadraginta quinque) milimetra longa, femina 53 (quingaginta tria), sed bestiae huius speciei in Europâ mediâ viventes plerumque manent minores. Praeter *Hylam arboream* et *Alytam obstetricantem* *Bombinae* sunt Europae mediae *Anura* minima. *Bombinae* a *Bufo* distinguuntur capite plano, cui insunt oculi inter se propinquiore, et corpore penitus planato et absentia membranarum tympani extrinsecus visibilium parotidumque et pupillarum cordiformium aut triangularium. Tempore copulationis mares a feminis distinguuntur obscuris callis nuptialibus in brachio inferiore sitis et duobus digitis prioribus; praeterea *Bombinae bombinae* mares (contra ac *Bombinae variegatae*) sunt interioribus saccis vocalibus instructi.

Corpori superiori, quod est coloris lucidê fusci sive griseo-fusci macularumque obscurarum, insitae sunt verrucae planae, quae aculeis corneis sunt instructae (minus distinctê quam in *Bombinâ variegatâ*). Multa individua *Bombinae bombinae* sunt cervice maculis viridibus obsitâ. Venter et partes brachiorum pedumque interiores sunt colore obscurê griseo vel nigro et maculis aranceis vel rubris, quibus interdum quinta tantum pars superficiei obtegitur, interdum maxima pars. Plerumque pars macularum rubrarum est paulo minor quam dimidia. Regiones obscuriores continent multa puncta alba.

Digitum intimi manuum et pedum et omnium membrorum summitates *Bombinae bombinae* contra ac *Bombinae variegatae* non sunt maculis versicoloribus. Lineamentum ventrale est singulis individuis huius speciei tam peculiare quam dactylogramma humanum. *Bombina bombina* si quod periculum timet, pedibus brachiisque sursum erectis dorsum format cavum, ut partim appareat color ventris ruber. Haec positio, quae dicitur *positio lintriformis* sive *reflexus bombinarum*, eo fine efficitur, ut hostes voraturi a bombinâ moneantur, quasi dicat: »Cave venenum! Cave ne comedas!«

Voces *Bombinae bombinae*

Mares sunt interioribus saccis vocalibus instructi. *Bombina bombina* sonum mirum quadamtenus melancholicum êdere solet tempore diurno (praesertim postmeridiano) primâque parte noctis. Eadem sonos suos („*uuh..uuh..uuh...*“) non saepius êdit quam quadragies in minutâ – rarius bombinat et profundius et maiore voce quam *Bombina variegata*. *Bombina bombina* parata est ad sonos êdendos, si temperatura aquae est minimum 12 graduum Celsianorum. Temperaturâ aquae augescente numerus sonorum in minutâ augetur, praeterea augetur altitudo tonorum, sed minuitur spatium sonorum temporale. Etiam magnitudo corporis vim habet ad sonos. Longitudine corporis exauctâ *Bombina bombina* diutius vocat, sed altitudo vocum deminuitur. At frequentia vocum neque pendet a magnitudine corporis neque ab aetate maris. Bombinatio frequentissima fit inter mensem Aprilem exeuntem et Iunium, sed imbribus vehementibus et abundationibus brevibus adhuc aestate effici possunt petitiones nuptiales spontaneae. Voces *Bombinae bombinae* interdum comparantur cum vocibus *Oti scopis* vel *Glaucidii passerini* vel *Ixobrychi minuti*¹.

¹ Nomina theodisca: Otus scops = Zwergohreule; Glaucidium passerinum = Sperlingkauz; Ixobrychus minutus = Zwergohrdommel.



Ecce *Bombina bombina* masculina vocem edens (supra ante, infra post vocationem)

Mechanismus, quo mares sonos edunt, differt ab illo *Anurorum* modernorum (*Neobatrachiorum*), qualia sunt *Bufones* et *Ranae* et *Hylidae*. *Bombina* summâ aquâ fluitans aut in aquâ submissâ sedens primo pulmonibus implendis similis fit folli aërio. Deinde aer fluit in saccos vocales, ut iidem provolvantur. Nunc demum soni efficiuntur aëre per laryngem in pulmones premendo – in aliis generibus *Anurorum* soni efficiuntur viâ contrariâ. Mares territorium occupant, quod habet diametrum binorum trinorumve metrorum. Mares copulantes amplectuntur feminarum lumbos (*amplexus lumbalis*).

Ovula larvaeque *Bombinae bombinae*

Bombinae feminae complures glaebulas tricenorum ferê ovulorum excludunt (in summâ maximum trecentena ovula in tempore anni), quorum involucra gelatinosa diametri sunt quinquaginta octonorumve milimetrorum. Quae in aquâ submissâ plantis affiguntur. Gyrini longitudine sunt maximâ 55 (quingentorum quinquaginta) milimetrorum. Eorum limbus pinnatus superior est altus et usque ad dorsi partem tertiam anteriorem pertingit; cauda gyrini sesquialtero tanto longior est quam distantia capitis et trunci extremi. Regio oralis est ferê triangularis (in *Bombinâ variegatâ* est formae ovalis); notae speciales sunt duae virgae lucidae longitudinales.

Diffusio et habitationes



Charta geographica, qua diffusio *Bombinae bombinae* apparet

Regiones diffusionis *Bombinae bombinae* praestantissimae sunt Europa orientalis et media (= regio continentalis biogeographica); in occidente septentrionali haec species habitat usque ad Suetiam australem, Daniam, Holsatiam orientalem, Saxoniam inferiorem boreo-orientalem, in meridie usque ad Bulgariam. Intra Germaniam *Bombina bombina* frequentissima est in Saxoniâ Anhaltinâ et in Brandeburgo et in terris Megalopolitanâ Pomeraniâque citeriore. At in limite diffusionis boreo-occidentali frequentia *Bombinae bombinae* valdê deminuta est, e.g. in Saxoniâ inferiore recentia individua huius speciei non inventa sunt nisi in planitie vallis Albis fluminis. In Bohemiâ occidentali situs est locus omnium altissimus, quibus *Bombina bombina* inventa est; qui locus habet altitudinem 730 (septingentorum triginta) metrorum. In multis regionibus *Bombina bombina* propter indigentias biotopi inter se diversas non potest unâ vivere cum *Bombinâ variegatâ*; sed per exceptionem hae duae species cohabitant in Austriâ orientali (e.g. in Terrâ Castrorum) et in Tsechiâ et in Dacorumaniâ.

Biotopi *Bombinae bombinae* gratissimi sunt submissa stagna aprica, plantarum abundantia, piscium expertia, quarum quantitas aquae pro tempore anni valdê variatur (propter abundationes temporales); talia

stagna a vere usque ad autumnum a *Bombinâ bombinâ* incoluntur. In planitie boreo-orientaligermanicâ, quae est exorta aetate neoplîstocaenicâ, typici biotopi sunt stagna, quae vocantur *Sölle*.



Stagnum in litore Albis fluminis medii inundabili situm, quod insigne est aquâ ebulliente (*Qualmwasser*, i.e. aqua subterranea quae bullans e fundo ad superficiem exprimitur). Talia stagna sunt biotopi *Bombinae bombinae* typici.

Mensibus Septembri et Octobri bombinae remigrant in sedes hibernas uno maximum chiliometro remotas. Loci, ubi bombinae hibernant, sunt praecipuê arbusta cum ligno mortuo et frondibus et interdum lapides accumulati. Frequentia prolis pro anno valdê variatur, pendet a temperaturâ et praecipitatis.

Nutrimenta

Larvae praecipuê se nutriunt algis bacteriisque, quae insita sunt stipitibus plantarum lapidibusque subaquaneis. Bombinae adultae nutrimenta non degluttunt nisi viva (e.g. insecta), quae maximam partim

in aquâ aut ad aquam capiunt. Cum bombinae biotopum aestivum eligant pro qualitate et quantitate bioproductionis, non semper eodem loco ovula pariunt et aestatem degunt. Itaque bombinae interdum vicissim varia stagna adeunt (plerumque nocte migrant et remigrant).



En aspice *Bombinam bombinam* vociferantem!

Quatenus *Bombina bombina* periclitetur

Existencia huius speciei bombinarum eo imprimis periclitatur, quod eius biotopi deminuuntur fluviis corrigendis et aggeribus struendis et areis siccandis. Etiam stagnis destruendis et agriculturâ intensivâ et habitationibus insulandis, velut viis sternendis bombinae rarescunt. In limitibus areae geographicae occidentali atque boreo-occidentali periculum maximum est, ne haec species intereat. Internationali autem indice rubro ipsius IUCN (*Internationalis Unionis Conservandae Naturae*)

Bombina bombina indicatur non periclitari (*least concern*), praesertim cum in Europa orientali et austro-orientali adhuc satis frequens sit.

(Quarta pars sequetur)

**HISTORIAE BOMBINARUM
PARTEM TERTIAM
COMPOSUIT
NICOLAUS GROSS**



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.com/>



Recitator

Fabula romanica

quam theodiscê scripsit
Bernhard Schlink

in Latinum convertit
Nikolaus Groß



Editio prima
in domo editoriâ, quae appellatur
LEO LATINUS

Senden in oppido Bavariæ Suebicæ
a. 2012

Hic liber habet 291 (ducentas nonaginta unam) paginas. Versioni fabulae completae adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 91 (nonaginta unam) paginas. Liber constat 45 € (quadraginta quinque euronibus) et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM Libri numerus internationalis est ISBN 978-3-938905-32-6. TOLLE LEGE !

VOCABULA VESTIARIA (II)

ex Orbe Picto pentaglotto excerpta et Latinê reddita

CORBEIL, Jean-Claude/ARCHAMBAULT, Ariane: PONS Bildwörterbuch Deutsch-Englisch-Französisch-Spanisch-Italienisch. Stuttgart etc. (Ernst Klett Sprachen) 2003.

In hōc Orbe Picto mirabili 35.000 (triginta quinque milia) notionum imaginibus sunt illustrata et quinque linguis Europaeis denominata: Theodiscâ et Anglicâ et Francogallicâ et Hispanicâ et Italicâ. Nos autem coepimus addere vocabula Latina, quorum hōc loco praebemus partem earum sextam, quae spectant ad res domesticas (VII. DOMESTICA). Provinciae rerum, quarum imagines et vocabula in Klettiani Orbis Picti paginis 920 (nongentis viginti) inveniuntur, sunt hae quae sequuntur:

**I.ASTRONOMIA – II. TERRA – III.REGNUM PLANTARUM –
IV.REGNUM ANIMALIUM – V.HOMO – VI.NUTRIMENTA ET
INSTRUMENTA COQUINARIA – VII.DOMESTICA – VIII.AUTURGIA
ET HORTICULTURA – IX.VESTIMENTA – X.INSTRUMENTA
PERSONALIA – XI.ARS ET ARCHITECTURA – XII.COMMUNICATIO
ET INSTRUMENTA GRAPHEICA – XIII.TRANSPORTUS ET VEHICULA
– XIV.ENERGIA – XV.SCIENTIAE – XVI.ATHLETICA ET LUDICRA.**

Babae, quanta copia! quanta ubertas! quanta multiplicitas! Qui Orbis Pictus etiam lexicographis Latinitatis recentioris est aurifodina et cornu copiae. Nam iidem vocabulis linguarum, praesertim Romanicarum, in eodem indicatis usi saepe perfacile inveniunt vocabulum Latinissimum. En cara Lectrix, care Lector, habeas partem vestiariam huius enchiridii singularis alteram vocabulis Latinis ditificatam. Faveas, quaeso, operi nostro laborioso.

Nicolaus Groß

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>

Theodisce	Anglice	Francogallice	Hispanice	Italice	LATINE
KLEIDUNG p.340 sqq.	CLOTHING	VETEMENTS	VESTIDO	ABBIGLIAMENTO	VESTĪTUS, - ŪS M.
Kopfbedeckungen	headgear	coiffure	sombreros	copricarpi	integumenta capitis
Herren-kopfbedeckungen	men's headgear	coiffures d'homme	sombreros de hombre	copricapi machili	integumenta capitis virīlia
Filzhut	trilby	chapeau de feutre	sombrero de fieltro	cappello di feltro	petasus coāctilis
Kopfteil	crown	calotte	copa	calotta	pars capitālis
Krempe	brim	bord	ala	tesa	margō petasī; limbus petasī
Schleife	bow	nœud plat	lazo	fiocco	lemniscus, -ī m.
Einfassband	binding	galon	ribete	orlo	limbulus, -ī m.
Hutband	hatband	bourdalou	cinta	nastro	taenia petasī
Strohhut	boater	canotier	canotier	paglietta	petasus strāmineus
Käppchen	skullcap	calotte	solideo	papalina	+cappula, -ae f.
Melone	bowler	melon	sombrero de hongo	bombetta	petasus *pepōnāceus
Fellmütze	astrakhan cap	calot	gorra de cuartel	bustina	mitella pellicea
Zylinder	top hat	haut-de-forme	chistera	cilindro	petasus altus
Kosakenmütze	shapka	chapska	chapka	colbacco	mitella *Cosāciāna
Jagdkappe	hunting cap	casquette norvégienne	gorra noruega	berretto da cacciatore	cappa vēnātica
Ohrenschützer	ear flap	cache-oreilles abattant	orejera	paraorecchi	amphōtis, -idis f. [LSc. s.v. ἀμφοτίς, -ίδος ἢ ...covering for the ears, AR. Fr.102... ; He. p. 404 s.v. Ohrenschützer: 1416, PLQ 52,112]
Mützenschirm	peak	visière	visera	visiera	umbella pileī
Schirmmütze	cap	casquette	gorra	berretto	pileus umbellātus
Panamahut	panama	panama	panama	panama	petasus *panamanicus
Damen-kopfbedeckungen	women's headgear	coiffures de femmes	sombreros de mujer	copricapi femminili	integumenta capitis muliebria
Pillbox	pillbox hat	tambourin	sombrero sin alas	tocco	petasus *immarginātus [PIERER's Universallexikon, a.1857, tom.8, p.832 : «immarginatus (bot.) ungerandet».]
Wagenradhut	cartwheel hat	capeline	pamela	cappello a falda larga	petasus rotāceus
Topfhut	cloche	cloche	sombrero de campana	cloche	petasus campānāceus
Toque	toque	toque	toca	toque	pileus *tocānus

Südwester	sou' wester	suroit	sueste	berretto impermeabile	+birētum impermeābile
Regenhut	rainhat	bob	gorro de marinero	cappello da marinaio	petasus nauticus
Kopfteil	crown	calotte	copa	calotta	pars capitālis
Krempe	brim	bord	ala	tesa	margō, -inis m./f.
Turban	turban	turban	turbante	turbante	*turbānum, -ī n. [Francis Bacon, Nova Atlantis a.1627]
Unisex-Kopfbedeckungen	unisex headgear	coiffures unisexes	sombreros unisex	copricapi unisex	integumenta capitis utrīusque sexūs
Kapuzenmütze	balaclava	cagoule	pasamontañas	passamontagna	pileus *cucullātus
Mützenschirm	peak	visière	visera	visiera	umbella pileī
Baskenmütze	beret	béret	boina	basco	pileus Vascōnicus
Filzhut	trilby	chapeau de feutre	sombrero de fieltro	cappello di feltro	petasus coāctilis
Pudelmütze	bobble hat	bonnet pompon	gorro de punto con borla	berretto con pompon	pileus villōsus
Schuhe	shoes	chaussures	calzado	scarpe	calceī, -ōrum m.pl.
Herrenschuhe	men's shoes	chaussures d'homme	zapatos de hombre	scarpe da uomo	calceī virilēs
Teile des Schuhs	parts of a shoe	parties d'une chaussure	partes de un zapato	parti di una scarpa	partēs calceī
Futter	lining	doublure	forro	fodera	**subsumentum, -ī n.
Zunge	tongue	languette	lengüeta	linguetta	ligula, -ae f.
Schnürsenkel	shoelace	lacet	cordón	stringa	corrigia, -ae f.
Vorderblatt	vamp	claque	empella	tomaia	folium anterius
Naht	stitch	surpiqûre	costura	impuntura	sutūra, -ae f.
gestanztes Loch	punch hole	perforation	perforaciones	foro	perforātiō, -ōnis f.
perforierte Vorderkappe	perforated toe cap	bout fleuri	puntera perforada	mascherina perforata	apex anterior perforātus
Laufsohle	outsole	semelle d'usure	suela	suola	solea externa
Brandsohle					solea interna
Schnürloch	eyelet tab	garant	oreja	lunetta	forāmen corrigiae

Schnürsenkelende	tag	ferret	herrete	puntale	cuspis corrigiae
Vorderteil	nose of the quarter	aile de quartier	ala del cuarto	parte anteriore del quartiere	pars anterior
Gelenk	waist	cambrure	enfranque	fiosso	artus, ūs m.
Absatzoberflecken	top lift	bonbout	tapa	salvatacchi	tegimen fulmentae
Absatz	heel	talon	talón	tacco	fulmenta, -ae f. [PLAUT. Trinummus 720]
äußere Kappe	outside counter	talonnette de dessus	contrafuerte del talón	rinforzo esterno del calcagno	cappa externa
Quartier, Außenhinterteil	quarter	quartier	cuarto	quartiere	puppis, -is f.
Fersenhalter	heel grip	glissoir	refuerzo del talón	rinforzo interno del calcagno	cappa interna
Einfassung	cuff	revers	ribete	collo	collum, -ī n.
Arbeitsstiefel	heavy-duty boot	brodequin de travail	bota de trabajo	scarpone	caliga operāria
Boot	chukka	chukka	media bota	scarpa a collo alto	calceus *alticollāris
Überziehschuh	galosh	claque	chancló de goma	galoscia	+galochia, -ae f. [http://ducange.enc.sorbonne.fr/GALOCHIA: Genus calceamenti, idem quod Gallica , vulgo <i>Galoche</i> . Lit. remiss. ann. 1382. in Reg. 121. Chartoph. reg. ch. 232 :]
Halbstiefel	bootie	bottillon	botín	scarponcino	*sēmicaliga, -ae f.
Herrenhalbschuh	oxford shoe	richelieu	zapato oxford	scarpa oxford	calceus Oxoniānus
Schnürschuh	lace-up	derby	zapato de cordones	carpa stringata	calceus *cōnstrictōrius [cfr zool. Ichneumon constrictorius]
Damen-schuhe	women's shoes	chaussures de femme	zapatos de mujer	scarpe da donna	calceī muliebrēs
Sandalette mit Fersenriemen	ankle-strap	sandale	sandalia	sandalo	*sandaliscus, -ī m. [gr. <i>σανδαλίσκος</i>]
Ballerinaschuh	pump	ballerine	ballarina	ballerina	calceolus *ballātōrius
Pumps	court	escarpin	zapato de salón	scarpa décolleté	calceus exedrae
Slingpumps	slingback shoe	escarpin-sandale	zapato de talón abierto	scarpa chanel	calceus cōpulāris
Einspangenschuh	one-bar shoe	Charles IX	zapato de tacón con correa	scarpa con cinturino	calceus *fibulātus [zool. Paraneirus fibulatus]
Stegspangenschuh	T-strap shoe	salomé	zapato de correa	scarpa con cinturino	calceus *ponticulātus;

					calceus ponticulī lōrātī
Straßenschuh	casual shoe	trotteur	zapato con cordones	francesina	calceus viārius
Schaftstiefel	thigh-boot	cuissarde	bota de medio muslo	stivale alla moschettiera	caliga *scāpāta [zool. Phytocoris scapatus]
Stiefel	boot	botte	botta	stivale	caliga, -ae f.
knöchelhohes Stiefelette	ankle boot	bottine	botin	polacchina	caligula tālāris
Unisex-Schuhe	unisex shoes	chaussures unisexes	calzado unisex	scarpe unisex	calceī utrīusque sexūs
Pantoffel	mule	mule	pantufla	pianella	calceus domesticus
Espadrille	espadrille	espadrille	alpargata	espadrille	calceus maiōricīnus [origo: Insula Mallorca, i.e. Maiorica: http://de.wikipedia.org/wiki/Espadrilles ; adi. maioricinus: Andreas Schott: Hispaniae illustratae etc. tom.III, Francofurti 1608: Imperator Maioricinus]
Tennisschuh	plimsoll	tennis	zapatilla de tenis	scarpa da tennis	calceus *tenilūdī [2.Ei.81, 167]
Slipper	slip-on	loafer	mocasín	mocassino classico	*lāpsāculum, -ī n.
Sandale mit Zehenriemchen	toe-strap	nu-pied	sandalia	sandalo indiano	sandalum *hallucārium
Mokassin	moccasin	mocassin	mocasín	mocassino	(calceus) moccassīnus, -ī m.
Römerpantolette	flip-flop	tong	chancleta playera	infradito	sandalum Rōmānum
Pantolette	clog	socque	chancleta	zoccolo	cuspus, -ī m. [Walde-Hofmann I, 318: "Holzschuh" (Glossen, romanisch).. ; cfr http://www.augsburger-allgemeine.de/augsburg-land/Holtscha-clogs-und-Knospen-id26757331.html]
Sandale	sandal	sandalette	sandalia	sandalo	sandalum, -ī n.
Wanderschuh	hiking boot	brodequin de randonnée	bota de montaña	pedula	calceus migrātōrius
Zubehör	accessories	accessoires	accesorios	accessori	res accessōriae
Schuhputzzeug	shoeshine kit	nécessaire à chaussures	juego limpiabotas	kit per la pulizia delle scarpe	ūtēnsilia calceōs pūrgandi
Ledertuch	chamois leather	peau de chamois	gamuza	pelle di camoscio	pannus coriāceus
Tasche	case	étui	estuche	astuccio	saccipērium, -īī n.

Schuhbürste	shoebush	brosse à chaussure	cepillo	spazzola	pēniculus calceārius
Schuhcreme	shoe polish	boîte de cirage	betún	lucido	unguentum calceōrum
Schuhbürste	shoe brush	cireur	enceradora	lucidascarpe a batteria	pēniculus calceārius
Schuhlöffel	shoehorn	chausse-pied	calzador	calzascarpe	*calceātrum, -ī n.
Einlegesohle	insole	semelle	plantilla	soletta	solea impositicia [2. PAUL.dig.30,1.41]
Steigeisen	climbing iron	crampon	trepadora	rampone	soleae ferreae [Josias Simler, De Alpihus commentarius, cfr Wikipedia s.v. Steigeisen; cfr SUET.Gaius52.TERTULLIAN. de corona militis, cap.1, ubi caligae speculatoriae memorantur] ¹
Schuhständer	shoe rack	porte-chaussures	zapatero de alambre	scarpiera	sustentāculum calceōrum
Schuhspanner	shoetree	embauchoir	horma	forma	*tentipellium, -iī n. [He.490]; *cālopodia, -ae f. [He.490]
Stiefelknecht	boot jack	tire-botte	sacabotas	cavastivali	*excalceātrum, -ī n. [Franc Ribera (a.1620): Vita B. Matris Teresiae de Iesu Carmelitarum et excalceatrum fundatricis, ex Hispan. sermone in Lat. convertebat Matth. Martinez]
Handschuhe	gloves	gants	guantes	guanti	chīrothēcae
Herrenhandschuhe	men's gloves	gants d'homme	guantes de hombre	guanti da uomo	chīrothēcae virīlēs
Handschuh-Außenseite	back of a glove	dos d'un gant	dorso de un guante	dorso del guanto	dorsum chīrothēcae
Handschuh-Innenseite	palm of a glove	paume d'un gant	palma de un guante	palmo del guanto	palma chīrothēcae
Ziernaht	stitching	baguette	pepunte	impuntura	sutūra ōrnātīva
Naht	seam	couture d'assemblage	costura	cucitura	sutūra, -ae f.
Keil	fourchette	fourchette	horquilla	linguella	furcilla, -ae f.
Finger	glove finger	doigt	dedo	dito del guanto	digitus chīrothēcae
Daumen	thumb	pouce	pulgar	pollice	pollex, -icis m.

¹ <http://de.wikipedia.org/wiki/Steigeisen>: „In Europa findet sich der erste Hinweis auf Steigeisen am **Konstantinsbogen** im antiken Rom (312 n. Chr.). Nach **Tertullian** (* um 150; † um 230) sollen sie von Spionen erfunden worden sein, um sich in schwierigem Gelände sicher bewegen zu können. 1574 beschreibt **Josias Simler** (* 1530; † 1576) in seiner Abhandlung *DE ALPIBUS COMMENTARIUS* eiserne Dreizacker, die wie Grödeln unter die Schuhe, die noch keine Profilsohlen hatten, geschnallt werden können (*soleas ferreas*, deutsch: *Hufeisen*). 1588 gab es bereits vierzackige Eisen für Holzarbeiter, Jäger und Mineraliensucher.

Innenfläche	palm	paume	palma	palmo	palma, -ae f.
Druckknopf	snap fastener	bouton-pression	botón de presión	bottone a pressione	+botō *pressilis [1.Latham, a.1242, p.61; 2.Francisci Vicomercati in ...Aristotelis Meteorologicorum commentarii et eorundem librorum e Graeco in Latinum per eundem conversio, Lutetiae Parisiorum 1556, p.97: ...ut pituita pressilis non est, sed tractilis...]
Autohandschuh	driving glove	gant de conduite	guante para conducir	guanto da guida	+chīrothēca autocīnētica
Fäustling	mitten	moufle	manopla	muffola	+muffula, -ae f. [http://ducange.enc.sorbonne.fr/muffulae Gall. <i>Mouffles</i> , Chirothecae pellitae et hibernae. Capitul. Aquisgran. ann. 817. et Capitul. M. addit. 1. cap. 22 : Wantos in aestate, Muffulas in hieme vervecinas.
Damenhandschuhe	women's gloves	gants de femme	guantes de mujer	guanti da donna	+chīrothēcae muliebrēs
Stulpenhandschuh	gauntlet	gant à crispin	manopla	guanto alla scudiera	+chīrothēca manicāta
Stulpe	gauntlet	rebras	brazo	manopola	manica, -ae f.
langer Abendhandschuh	evening glove	gant long	guante largo	guanto da sera	+chīrothēca vespertīna
fingerloser Spitzenhandschuh	fingerless mitt	mitaine	mitón largo	mezzoguento	*hēmichīrothēca, -ae f.
Kurzhandschuh	short glove	gant court	guante corto	guanto corto	+chīrothēca brevis
Langhandschuh	wrist-length glove	gant saxe	guante a la muñeca	guanto lungo	+chīrothēca longa

**Haec vocabula vestiaria
excerpsit et in Latinum convertit
Nicolaus Groß
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

(Pars tertia vestiaria sequetur)

**HANC EPISTULAM LEONINAM
OCTOGESIMAM**

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT

Die Martis, d.02. m.Sept. a.2014

Nicolaus Groß

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>